

quolibet consilio, super quacunque preposita que preponetur in maiori consilio, dominus potestas iudices vel rectores teneantur ponere partitum de fatiando partito vel non ad piscides cum balotis super prepositis predictis, excepta preposita de
 5 fatiando arengam. Et si caperetur¹⁾ de fatiando partitum, tunc cancellarii comunis legere debeant primo conscillia illorum de utilitate et subsequenter conscilia aliorum consiliariorum, quibus lectis tunc primo balotetur conscilium illorum de utilitate et post modo conscilium cuiuslibet alterius
 10 consiliarii ordinate, prout fuerit cons(c)ultum super prepositis predictis, videlicet unum conscilium contra aliud, et ultimum quod optinebit sit firmum, et hoc pena decem libr. par. pro quolibet potestate // et iudice et sacramento. ¶ Et pote- 58 B
 15 stas primo debeat ponere suam balotam in pistidibus super quolibet conscillio, prout sibi melius videbitur, et quilibet consiliariorum teneatur ponere manus in ambobus pissidibus sub pena decem sold. par. ¶ Et numerari²⁾ debeant omnes balotas, cum omnes consiliarii balotentur, per dictum dominum potestatem et vicarium suum, videlicet balotas unius
 20 piscidis per potestatem et alterius piscidis per eius vicarium. ¶ Item facere numerari omnes consiliarios in dicto consilio existentes, et si reperirentur plures balote quam consiliarii, tunc partitum reponatur a capite. ¶ Et quod nulla petitio producta per aliquam personam coram domino potestate et iudicibus, in qua peterentur pecunia vel bona comunis, aliquo
 25 modo vel ingenio possit preponi in maiori consilio, nisi primo in conscillio sapientum obtenta fuerit per duas partes consiliariorum sapientum, in quo interesse debeant triginta consiliarii sapientum ad minus. ¶ In quo quidem maiori consilio
 30 nullus preco vel aliquis de familia domini potestatis interesse debeat vel stare, excepto in consilio in quo fient officiales, et cancellarii de sub logia et notarius malefittii cum cancellariis comunis dare debeant balotas in dicto maiori consilio, quando fient preposite, et portare piscides. ¶ Quo consilio durante

¹⁾ *capiret*. Anche gli Statuti del 1365 hanno *caperetur*. ²⁾ *numerare*. Anche gli Statuti del 1365 hanno *numerari*.